AMERICA CENTRAL

MISCELANEA



1811

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Universidad Francisco Marroquín

http://www.archive.org/details/propositiones00unseguat

PROPOSITIONES

DE JURE-PATRONATUS REGIO

ECCLESIASTICO, ET ACADEMICO

EX SACRIS CANONIBUS, REGISQUE LEGIBUS

DEPROMPTÆ

PROPUGNANDÆ

A D. JOANNE FERNANDEZ LINDO

SUB PRÆSIDIO

D. D. ET MAG. D. BERNARDI MARTINEZ

PRIMARIÆ SAC. CANONUM CATH. MODERATORIS

IN AULA MAGNA

REG. ET PONTIFICIÆ ACADEMIÆ

DIE XXXI OCTOBRIS.

ANNO MDCCCXI.

N. Guat. Apud Arevalo.

PROPOSITIONES

DE JURE-PATRONATUS REGIO

ECCLESIASTICO, ET ACADEMICO

EX SACRIS CANONIBUS, REGISQUE LEGIBUS

DEPROMPTÆ

PROPUGNANDÆ

A D. JOANNE FERNANDEZ LINDO

SUB PRÆSIDIO

D. D. ET MAG. D. BERNARDI MARTINEZ

PRIMARIÆ SAC. CANONUM CATH. MODERATORIS

IN AULA MAGNA

REG. ET PONTIFICIÆ ACADEMIÆ

DIE XXXI OCTOBRIS.

ANNO MDCCCXI.

N. Guat. Apud Arevalo.

D. ANTº NORBTº SERRANO POLO
OYDOR DE LA RL AVDIENÇA DE GVATÊ
Y CONSVLTOR TOQº DEL STO. OFICIO.

Grabº por Narciso Rosalº en Guatª.

BENEFICO PROTECTORI

D. D. ANTONIO NORBERTO. SERRANO POLO,

QUI PATRIÆ BONO

PRIMÆ ÆTATIS ANNIS CONSECRATIS

IN SALMANTINO ET COMPLUTENSI LYCEO

ÆQUE AC IN MATRITENSI CURIA

IN DIFFUSISSIMA JURIS UTRIUSQUE ARENA

SCIENTIÆ AC HONORIS PULSEREM MENTIS CURRICULO COLLEGIT:

AD CHIAPPENSEM DEINCEPS ET COMAJAGUENSEM PROVINCIAM

UT JUDICIIS PRÆESSET, CAUSASQUE DESIDERET

A REGE CONSTITUTUS,

IN GUATIMALENSI TANDEM CANCELLARIA

SENATORIS, REGIIQUE CONSILIARII

AC FIDEI TRIBUNALIS CONSULTORIS

MUNERE FUNGITUR,

D. JOANNES FERNANDEZ LINDO

OB ACCEPTA SUBSIDIA

IN LITTERARUM STUDIIS

GRATITUDINIS LEGIBUS DUCTUS

JURIDICUM EXAMEN

PRO BACCALAUREATUS GRADU

IN PONTIFICIO JURE OBTINENDO

LIBENTISSIME DIGAT.

ORIGO INDIARUM PATRONATUS.

Licet Reipublicæ administratio Regibus eo fine á divino Numine concredatur ut temporali Civium tranquillitati, et commodo consulant, ex eodemque capite sint de vera constituenda religione soliciti, qua Cives in officio suo erga se, et erga Principem religionis cultu, arctissimo velut vinculo adstringuntur, in nobiliores tamen curas ipsa natura duce assurgunt.

Naturæ enim auspiciis unicuique insita cum sit superni alicujus Numinis cognitio, à quo cœtera omnia pendent, ipsi etiam Reges, quibus veræ religionis lumen non effulsit non modo privatis studiis Numen illud colere tenentur; sed etiam publicis legibus contumelias, quæ illi, aut idololatria, aut monstris criminum á Civibus inferuntur, ulcisci.

Si Paganos Principes huic officio addictos fatemur ¿quò magis Principibus Christianis, qui vera fide imbuti auxiliis gratiæ naturalis cognitionis fines excesserunt, religionis promovendæ, tuendæque Ecclesiæ cura impensius incumbere dicemus ad divini Numinis cultum amplificandum?

Ad

Ad hæc officia Principes adigi arbitramur non ex eo solum quod ad felicitatem Imperii colliment ut plurimum cum illis conjunctam; sed ex eo etiam quod suum Christo nomen dederint, eique caput suum et ipsam Regiam Dignitatem devoverint.

Hinc etsi leges Ecclesiasticis et spiritualibus rebus indicere non contineatur intra fines Regiæ potestatis, tamen canonicas constitutiones suis etiam legibus tueri ex officio Principes tenentur.

Quam tuitionem sibi Hispani Reges vindicarunt, huicque patrocinio Regiam Hispaniæ Dignitatem devovit *Flavius Reccaredus* Gotticæ stirpis, qui repudiato idolorum cultu, et Ariana hæresi calcata, quæ Hispaniam, imperio tenuerat, se Catholicæ Ecclesiæ partibus addixit, eique arbitrio suo et delectu veræ fidei victoriam peperit.

Is III. Toletanum Concilium, ut optimo Ecclesiæ regimini consuleret, congregavit: quæ ab ipso definita fuere confirmans, ante Metropolitanos, Episcopos et absentium Legatos subscripsit; decernendumque voluit à Patribus ut, ad instar Ecclesiarum Orientalium praxis, fidei symbolum inter Missarum solemnia caneretur, cujus pietatem qui sequuti sunt Reges æmulati condendorum Canonum tomum in Concilium proferre consueverunt.

Itaque statim assequutus est *Defensoris fidei, Catholicique Regis* nomen, quod regno suo prosperis auspiciis adscriptum in posteros Catholicos Reges transmisit fœlici fato usque ad Ferdinandum VII. retinendum. Sed et Toletanum V. Edicto suo confirmavit Rex Cintila.

Imó sequutis temporibus, moribus inductum est

ut

ut coactis à Regibus Episcoporum et Procerum conventibus, nedum de Ecclesiasticæ disciplinæ reformatione; sed et de honore Palatinum Officium exercentibus Viris debito, de Principis electione, de reprimendis infimæ plebis excessibus decernerent.

Frequentissimæ hæ Synodi in Hispania fuere, in quibus Ecclesiasticæ simul et Civiles constitutæ sunt leges, tum ut Canonum firmitati robur Regiæ auctoritatis accederet, tum ut Reges pro sua in Ecclesiam pietate Episcoporum consilium exquirerent. Unde factum, quod Hispani Episcopi Regii, iique nati Consiliarii appellentur

Ex hoc tuitionis, et patrocinii jure, quod Hispani Reges exercuere, illud commodi in totam Christianam Rempublicam redundabat, ut Ecclesiastica, et civilis potestas amico, ac perpetuo fœdere invicem conjunctæ mutuis auxiliis ad reprimendos improborum conatus, et juvanda bonorum studia inter se conspirarint.

Ita sese jura Patronatus habuere, donec irruentibus Saracenis extincta sunt; sed ab Ildephonso I. restaurata, Froyla, ejusque, usque ad Ildephonsum X. cognomine *Magnum* Succesores, absolutum exercuere Patronatum. Concilia indicebant, ad Beneficia præsentabant, Episcopales Sedes erigebant, Diœcesium limites assignabant ipsismet Romanis Pontificibus assentientibus.

Hispano Imperio succesu temporis subjugatis Aragonum et Siciliæ, Valentino, Granatensi, aliisque regnis, cum eorumdem dominio, Ecclesiarum patronatum Reges acquisiere, jure (ut ita dicamus) accesionis, vel unionis, eodemque patronatus ipsis competit, et tuitio Indiarum ditionum, quæ non Coloniæ; sed Hispaniæ Monarchiæ partes integrantes ipsi sunt adunatæ.

En Regii Hispani, et Indici Patronatus originem, antiquissima nixam consuetudine: en fontem, ex qua majestatica Patronatus jura, prono velut alveo fluunt, in Patriis legibus, non modo hoc titulo nostris Regibus asserta; sed ex eo etiam, quod ab Hispania Saracenos effugarint, Ecclesias erexerint, dotarint, ac ditarint.

His legitimis titulis accedit Pontificia concessio, cum Catholici Reges Ferdinandus V. et Elisabetha á Romana Sede postularint, et impetrarint plenarium Indiarum ab ipsis eorumque Succesoribus detectarum, vel detegendarum patronatum, hunc digniorem diademati inhærentem gemmam æstimantes.

Nihil est in Regalibus Indiarum tam sanctum, quam ut jus hoc in solidum salvum sit Regi. Et quia Ferdinandus Cortesius idem jus à Sede Apostolica obtinuit in Ecclesiis Marchionatus *del Valle*, Rex Catholicus privilegii usum prohibuit, et à Senatu Indicó concessionis litteræ retentæ fuere utpote subreptitiæ, nec à Summo Pontifice concedendæ, si de læsione regalibus illata certior esset factus.

Itaque à Regia Corona inseparabile, nec præscriptione, nec renunciatione, nec alio quovis titulo derogatur.

Etsi jus Patronatus, et jus præsentandi tamquam totum á parte inter se differant, sæpè pro eodem sumitur promiscuè, et impropriè, ex eo forte, quod hodie in jure præsentationis Clericorum ad Beneficia potissimum consistat. ¿ Quid ipsius nomine veniat: quæ ejus sint species: anque Indicum Ecclesiasticum sit, vel laicale? petenti trademus.

Ecclesiæ fundatio, dotatio, aut constructio: præscrip-

criptio etiam, ac Romani Pontificis privilegium tituli sunt quibus hujuscemodi jus acquiritur; ex ipsisque tam justus est; tamque legitimus in Regibus Indiarum Patronatus, ut nemini potiora fundamenta esse possint.

DE HONORIFICIS REGII PATRONI JURIBUS.

SÆcularibus honoribus posthabitis, ea honorifica jura Ecclesia Patronis Regibus consecravit, quibus suos benemerentes in suis ædibus, et publicis conventibus cultum externum deferri facit, et reverentiam.

Regi ad Ecclesiam venienti Clerus processionaliter occurrit, eumque recipit, et ad Ecclesiam deducit. Extra Ecclesiam autem, nec Reges cum Crucê excipiendi sunt, sed nec Archiepiscopi, nec Proreges sub Pallio.

Non ita ejus Vice-Patrono, nec Senatui ipsum repræsentanti, qui si divinis intersint, ab una Dignitate, unoque Canonico excipiendi in ingressu Ecclesiæ sunt, comitandique usque ad locum in quo divina audiant officia, dimittendi deinde usque ad januam in eggressu.

Defertur Regi qua Patrono honor incensi, seu thuris suffitus; ipseque, vel ejus vices gerens singulari ritu lustrandus est aqua benedicta, tum in accessu ad Ecclesiam, tum dum die Dominico Populus aspergitur.

Quamvis aquæ benedictæ aspersionem à Canonicis fieri aliquæ Indiarum Cancellariæ conatæ fuerint, idque in Ecclesiis Limana, et Guatimalensi olim in praxi fuisse *Petrus Frasso* testetur, ac de Chilensi idem asserat *Villarroel*, ab alio Sacerdote fieri, lege, et antiqua consuetudine inductum est.

Caveant autem Vice-Patroni, et Senatus, ne sibi

tradi

tradi aspergillum contendant, quo se ipsos aspergant, id quod uni Episcopo reservatum est.

Sat illis honoris est si peculiari ritu aspergantur à Sacerdote: ab hoc enim, non ab alio ad benedicendum in Ecclesia specialiter constituto, aquæ lustralis aspersionèm, (quæ species benedictionis est) licet accipere.

Si candela, palmæ, vel cineres statis diebus, ut Populo tribuantur, benedicantur, Rex, aut Vice-Patronus horum portionem post Clerum accipiet.

Juris processionis velut consectarium habetur honor sedis, vi cujus sedes perpetua, et specialis assignatur eisdem in Ecclesiæ loco eò honorabiliori; quo Sacrario, et altari magis appropinquet.

Imó assignare in Ecclesiis Indiarum proprias, et certas sedes, in eisdemque sellæ vel scamni usum concedere Regii Patronatus juris est.

Patroni cadaver in honorabiliori Ecclesiæ loco inhumandum honorem designat sepulturæ. ¿Ecclesiæne dicamus an Cœmeterii? Utinam ad praxim mos pristinus sepeliendi extra Ecclesiam generatim servaretur, ut ratio suadet, novissimaque jura verbis strictis æqué, ac urgentissimis præcipiunt. Interea sive Ecclesia, sive Cœmeterium sepulturæ decernatur, honorabilior locus Patrono concedendus.

Textus Evangelii Regi, et Proregibus afferendus est deosculandus, non item Præsidibus, quod unicé in nostra Guatimalensi Ecclesia vidisse *Frasso* testatur, eisdemque danda pax, non quidem cum Patena; sed cum instrumento *Portapaz* appellato.

Tribuendus est Patrono Regi honor precum, ut scilicet in publicis, solemnibusque Ecclesiæ precibus

di-

divino Numini commendetur, et quidem nominatim: ejus est etiam juris regium stemma in Ecclesiis Patronatis apponere.

Arma vero, vel insignia Gentilitia privatorum affigi omnino prohibentur, etiamsi Episcoporum, et Proregum sint, et simul cum Regiis appendantur, quippe quod minus decens excelsæ Regis dignitati, à qua Vasallorum jura valdè distant, æstimatur.

Jura honorifica Patrono competunt, et Vice Patronis cum prælatione ad omnes Laicos, et Sæculares; non vero ad Episcopum et Clerum. Unde apud nostros, et exteros Jurisperitos Philippus II. Hispaniarum Rex commendatur, qui in Ecclesia Valentina osculum pacis prius Archiepiscopo Valentino, quam sibi dandum decrevit.

DE JURE REGIS ERGA ECCLESIAM PROTECTORIO.

EX debito illo quod Summum Imperantem ad Ecclesiam tuendam constringit fluit jus Principum amovendi violentias, et oppressiones â Civium Personis, et possessionibus. Si quæ enim injuriæ ab Ecclesiastico Judice Subditis inferantur, à nullo, nisi á Patre Patriæ repelli possunt.

Hanc Regum protectionem nedum non improbarunt Hispaniæ Patres, ipsaque Sedes Apostolica, sed et ratam habuere utpotè immemorabili consuetudine firmatam.

Triplicitèr violentiam irrogare valet Ecclesiasticus Judex, *in cognoscendo* scilicet *et procedendo, in modo*

cognoscendi et procedendi, et in denegando appellationem.

Amovendi violentias œconomica Jurisdictio vel à Rege, vel à Tribunali Auditorum Provinciæ in qua injuria infertur exercetur. Ab eodem processus originalis exigitur, quo inspecto violentia removetur, si adest; sin vero non, ad Ecclesiasticum Judicem devolvitur damnato in expensis petitore.

Locus non est violentiæ recursui, nisi in decretis vim definitivorum habentibus, non in meré interlocutoriis, nec in causis Supremi Inquisitionis Tribunalis, et Sanctæ Cruciatæ.

Licet causarum Regii Patronatus recursus ut plurimum in Hispania in Regio Cameræ Tribunali expendantur, Cancellariæ tamen Indiarum idem jus sibi vendicant.

Ita et dubia orta super eodem jurepatronatus Regio, erectionibus Ecclesiarum, collationibusve præsentatorum ab eisdem Senatibus, vel eorum Præsidibus sunt decidenda.

Retinendæ item Bullæ quæ eidem Patronatui aliquod præjudicium generare posse videantur.

Sese etiam explicat Patronatus in Regis Placito ad Conciliarium Canonum promulgationem necessario, cujuscumque generis Synodus sit, á qua ipsi emanaverint. Imó ut totius alicujus Hispanæ Provinciæ Episcopi simul congregentur Regium requiritur beneplacitum.

Ecclesiæ tuitioni, et Vasallorum protectioni incumbit Rex cum ea qua decet reverentia, vel supplicationem interponit à litteris apostolicis, vel eas retinet in

Senatu.

Nullum itaque Pontificium Rescriptum Constitutio nulla effectum sortitur apud nos, quin ipsi Regium Placitum vulgo *Pase* prius accesserit.

Regii Placiti nomine, sive *Exequatur* venit decretum Regis, ejusque Sanctioris Indiarum Consilii, quo Pontificiorum rescriptorum publicationem, et executionem vel sinit, vel jubet in his ditionibus.

Si quod eorum appareat importunè, et subreptitiè, impetratum, in damnum, et perniciem Ecclesiæ, vel Republicæ, ne pax publica turbetur, retinendum est.

Quæ pro foro conscientiæ emanant à Sacra Pœnitentiaria, placito non subjacent: ea vero quæ gratiosa appellantur Episcopo Diœcesano exhibenda sunt.

Rescripta omnia quibus vel Jubilæum, vel quid simile à Pontifice concedatur, si generalia sint, et publicentur, Indiarum Proreges, et Præsides certiores de eis prius reddendi sunt.

Nec directè nobis licet apostolicas gratias impetrare; si enim eas excipimus, quæ arctatis, et à Sacra Pœnitentiaria conceduntur, preces Ordinarii testimonio firmatæ ad Supremum regni ministerium mittendæ sunt.

Ad verum Dei cultum conservandum et augendum omnium percipiendarum decimarum jus Indiarum regnis ex Apostolica concessione obtinuerunt Reges nostri, assignata prius, et cum effectu Ecclesiis dote sufficienti. Sed tertiis regalibus, sive tribus nonis partibus sibi in reliquis retentis, metallorum, et gemmarum universas decimas percipiunt.

Con-

Concessionis decimarum originem ab Alexandri VI. Constitutione repetendam asserimus. Hujus existentiam, licet inficietur Doctor *Carrasco* Panamensis Senator, meritò reprehendendus, quod supinè ignoraverit extitisse in regiis archiviis originalem.

¿Indiarum decimæ in hodierno statu, bonane sint Ecclesiastica, an regalia: spiritualia, an temporalia? graviter inter Jurisperitos disseritur. Regiæ leges pro ipsarum temporalitate totæ sunt.

Vacantium nostrarum Ecclesiarum, tam majorum, quam minorum redditus ad regium attinent patrimonium, licet regiæ pietati valde congruat, ut piis operibus applicentur.

Annatæ dimidia pro omnibus Dignitatibus, et Præbendis, unusque mensis redditus vulgò *mesada* pro Episcopatibus, cœterisque Beneficiis curam animarum habentibus Regi tribuuntur.

Cum Patrono onus incumbat defendendi Ecclesiam, et male alienata repetendi, Episcopis decedentibus *Regiæ* jurisdictionis est eorum spolia colligere, lites super eisdem motas dirimere, solutionem famulorum, et Creditorum in se recipere: quidquid deducto ære alieno superest viduatæ Ecclesiæ applicare.

Quamvis liberum sit Ecclesiasticis de bonis Beneficiorum, voluntaria Regi subsidia ob Reipublicæ necessitates offerre, ne Clerici facilius quam oporteat ea subsidia præstent, consulendum Summum Pontificem jure Decretalium est cautum. Pro Indiarum regnis jus obtinet, ut Romanus Pontifex petente Rege subsidia conferenda decernat.

Vigentibus tamen quas ægrè dolemus hodiernis cala-

calamitatibus, laude, honore, merito dignos illos arbitramur, qui suæ sortis obliti, quæ possident bona Reipublicæ bono consecrent; quippe cum Reipublicæ bonum, religionis, et Ecclesiæ bonum ipsum sit, viceque versa.

Patrono namque jus esse, ut si ipse paupertatis infortuniis jactetur, ex fructibus Ecclesiæ, si qui supersint alendus sit, inconcussum est.

Num Beneficiarius leges in fundatione sancitas adamussim adimpleat, proventusque Ecclesiasticos legitimè administret, Regis jus est inquirere. Itaque in œconomi electione qui bona Ecclesiæ procuret, et in ratiociniis ab eodem exigendis sese exercet Patronatus.

Novissima Concordati lege, quo Hispaniæ Beneficiorum Patronatum Regi Sedes Apostolica cessit libera omnis pensionum imponendarum facultas in Sede Apostolica cessavit etiam in quinquaginta duobus ipsi reservatis, nisi Patroni Regis consensus accesserit.

Jus tamen obtinent Reges nostri inolita consuetudine assertum pensiones imponendi Archiepiscopatibus, et Episcopatibus, eoque Carolus III. et IV. usi fuere.

Ecclesias, Oratoria publica, Monasteria, Hospitalia construere sine Regis venia apud nos vetitum; siquidem ædificandi in solo publico licentiam concedere solius supremi Principis est.

Etiam admissio in quamlibet Indiarum Provinciam cujusvis Ordinis Regularis, vel repulsio prævium requirit Regis assensum, utque in ipsorum conventibus, et Capitulis pax servetur auxilium Regium conceditur consulto Præside, vel Prorege.

Litteræ quibus Generales eorum Superiores extraor-

traordinaria privilegia, immunitates, et exemptiones Subditis elargiuntur, absque Regio placito inanes sunt.

Illæ etiam quæ Visitatorum Regularium patentes dicuntur Regii Senatus subjiciuntur examini, dum facultatem continent novam creandi Provinciam, aut similem aliam extraordinariam ad externam gubernationem pertinentem.

Sine hujusmodi examine permittuntur facultates ad reformandam interioris disciplinæ observantiam ordinatæ, non ex eo quod Religioso injustè patienti illicita sit defensio; sed quia melius duxerunt Reges nostri, quod innocens unus condemnetur, et unus patiatur, quam quod totius Religionis pax perturbetur; sicque manus patienter recipiat ictum ad servandum caput.

Regularium nullus absque Regio assensu ad Indias potest iter arripere, nec eorum cuilibet electo Prælato licet officium exercere, quin prius Proregi, Præsidi, vel alii regiminis temporalis clavum tenenti se præsentet.

Huc etiam reffertur potestas expellendi à regiis dominiis non Regulares modò sed Sæculares Clericos incorrigibles, data suorum Prælatorum desidia, præmissa summaria informatione de eorum excessibus, requisitoque Ecclesiastico Superiore, ut utrumque brachium pro Reipublicæ tranquillitate concurrat.

Eò item tendit quod Reges evocare Præsules possunt, aliosque inferioris ordinis Ecclesiasticos, ut coram se compareant quoties ad Ecclesiæ, vel Regni commodum ei visum fuerit expedire.

Nec Archiepiscopales Sedes, nec Episcopales, aliæve Dignitates absque Regia voluntate erigi valent, vel institui.

Que-

Quemadmodum erectionis Diœceseon Indicarum cura, ita et divisio, restrictio, aut unio, ubi oporteat, Regi est delegata; ita tamen ut earumdem causas Sedi Apostolicæ succensendas, et approbandas notas faciat.

De cœteris minoribus Patronatus Beneficiis idem dicimus, à pariqúe procedere quoad Regii assensus necesitatem Ecclesiarum ædificationem, reparationem, ac de uno in alium locum translationem sustinemus.

Laicales Congregationes, et Societates (vulgò *Cofradias*) in quibus quodam veluti fraternitatis vinculo constricti charitati, divinive cultus operibus Fideles incumbunt Regiam prærequirunt licentiam, ut erigantur. Nec post erectionem congregari licet Confratribus dum libeat, nisi Regius adsit Minister, qui præsit. Hujus est rixas, odia, dissensiones compescere, comessationes, ebrietates, rixas pœnis subjicere, indebitas exactiones vitare, et Confraternitatem ad legitimum suum usum revocare.

Hujusmodi Regiæ jurisdictionis interventu Confratermitatum abusibus ocurrere studuerunt Reges nostri hodierna temporum, et Americani nominis injuria, qua ad hoc unum inter Indos præcipue institutæ videntur, ut semel vel etiam sæpius per annum ad aliquod solemne Sacrum, ac postmodum ad solemne convivium conveniant, ut etiam corruptela intolerabili ex eleemosynis ad pios usus erogatis convivia, ebrietates et comessationes instruantur.

DE

DE PRÆSENTATIONE.

CLerici idonei præsentatio ad Ecclesiam vacantem vel Beneficium ab Episcopo, aliove Superiore Ecclesiastico instituendi nobilior, potissimaque est Jurispatronatus prærogativa.

Hanc plenissime obtinent Catholici Reges, eorumque legitimi Succesores, et universo ad Metropolitanas et Cathedrales Ecclesias nominandi jure potiuntur.

Legitimi Succesores diximus. Hinc præsentationem D. D. Ildephonsi Aguado et Xaraba titularis Augustopolitani Episcopi, Toletanæ Diœceseos Auxiliaris, ad Calagurritanum Episcopatum, hujusque furfuris alias à Josepho Napoleone factas injustas, illicitas, flocci nihili pendendas reputamus.

Cum in regio Hispaniæ solio legitimè non sedeat; sed solertibus dolis, fraudulentis technis, fallacibus machinamentis tendens laqueos, parans insidias, retiaque subornans in quæ Regiæ Borbonicæ Familiæ Principes nostri nihil tale metuentes subitò se illaquearunt, et quó se ab ipsis volebant expedire, eó implicatius constricti sunt, illud nefaria quasi rapina occuparit.

Personam à Rege Episcopatui designatam confirmat Sedes Apostolica, ut indies experimur, nec respuere solet, nisi urgens adsit in contrarium legitima causa.

Nec mirum; magna siquidem adhibita deliberatione Ecclesiæ utilitate, et Personarum diù perpensis meritis ad nominationem accedit.

Facta præsentatione regium Capitulo sede vacante expeditur rescriptum vulgò *de ruego y encargo*, vel (ut aliis placet) *Cedula de gobierno*, ut præsentato Ec-

Ecclesiæ regimen committat.

Tunc regendam suscipit Ecclesiam non jure proprio, sed ex delegatione Capituli, à quo, non à Rege spiritualis jurisdictio in ipsum effluere potest.

Hoc modo hanc Guatimalensem Diœcesim omnium ejus Præsulum primum ad ipsam á Carolo V. nominatum Episcopum Fr. *Dominicum de Betanzos* gubernasse, ab antiquis monumentis accepimus, quo et similibus edocemur praxim hujusmodi antiquissima esse nixam consuetudine.

Ut merito Regium Hispanum ministerium reprehensione valdé dignum duxerit, Limanum quemdam Archiepiscopum ad Romanum Pontificem de eadem praxi querelam deferentem; vi cujus (ajebat querulus ille Præsul) electi Episcopi non expeditis Bullis Episcopatus possidebant, et administrabant.

Præsentationem confirmatio Pontificia subsequitur. De hac Apostolicæ Bullæ expediuntur, quæ in Supremo Indiarum Consilio inspectæ, et executioni traditæ exhibendæ sunt à Præsentato, ut possessionem obtineat, et consecrationem Episcopalem.

Bullarum defectum nullum instrumentum quavis authenticitate roboratum, nulla quantumvis plena probatio supplere potest.

Unde cum Episcopus Paraguajensis suæ Diœceseos possessionem fuisset adeptus, et se ab Episcopo Tucumanensi consecrari curasset, non exhibitis suæ promotionis litteris, quas tamen revera concessas prius, et expeditas fuisse præviis aliquibus informationibus constabat, illegitima possessio fuit declarata, consecratio vero illicita, quamvis valida.

Juramentum quoque de fidelitate Romano Pontifici præstanda, de Regum juribus, et reditibus non invadendis, de non usurpando Regio Patronatu præcedat necessum est, cum fidei professione.

Episcopatus, et reliqua cuncta Beneficia, non nisi Regnicolis, vel jura civitatis habentibus conferenda sunt.

Assentiente, et rogante Rege transferuntur Episcopi ad alias Diœceses. Regis tamen decreto Consilii Supremi Ministris est injunctum, ne sibi auctores sint rogandi Pontificem ad hujusmodi translationes, nisi postquam Episcopus octo, vel decem annos priori Ecclesiæ laudabiliter præfuisset.

Renuntiatio Episcoporum consensum Regis: depositio Regiam exigit notitiam.

Sicut Episcopatibus, ita Dignitatibus, et Præbendis viam aperit Regia nominatio. Quin et privilegio Pontificio in nonnullis sui Regni Ecclesiis Rex Canonicatu potitur, ac inter Canonicos recensetur, veluti in Barchinonensi, Legionensi.

Ordinarius debet statim exhibita Regia præsentatione originali, canonicam institutionem concedere, nisi obstet canonicum impedimentum. Cautè dicimus *originali*, nec qualibet alia præsentationis probatione Regiæ leges canonicam institutionem fieri permittunt.

Deneganda hæc pariter elapso tempore in rescripto, vel lege præfinito ad ipsam à Superiore postulandam.

Liberum est Episcopis interim Præbendarios nominare qui quaternarium numerum expleant; si in Ecclesia infra eundem numerum sunt proprietarii, concurrentibus vero quatuor cessat illa facultas.

Ta-

Tales ad nutum amoviles, nec in Choro sedem obtinent capitularem, nec votum in Capitulo: stipendio tamen gaudent ex vacantium Præbendarum fructibus assignando.

Lectoralis, Magistralis, Pœnitentiarius, Doctoralisque Canonicatus non nisi prævio concursu conferuntur præviis Edictis in locis à Vice-Patrono assignatis affigendis, et examine coram Regio Examinatore ab eodem deputato subeundo.

Concursu peracto, Capitulum cum Prælato tres seligit ex Oppositorum dignioribus: ejus nominationem Proregi, aut Gubernatori tradit, ab hoc ad Regem transmittendam, ut ex sic nominatis sibi bene visum præsentet, vel ex approbatis alium, si de nominationis irrationabilitate constet.

Ubi tamen nullus hujusmodi Præbendas in concursu nitatur obtinere, ne in suspenso remaneant, Regem ad ipsas licité præsentare, pluries in Comajaguensi hujus Provinciæ Suffraganea Diœcesi conspeximus.

¿Utrum nominatio aperta sit tradenda, vel clausa à Capitulo? disceptatum olim fuit inter Proregem et Archiepiscopum Mexicanum. Apertam tradendam esse decissum, nec aliter Prorex, vel Præses de oppositorum qualitatibus, et scientia Regem certiorem facere potest.

Ad Parochialium Ecclesiarum præsentationem tam necesaria est forma concursus à Tridentina Synodo præscripta, ut nullæ valeant illa non servata conferri, quantumvis digni, et docti sint oppositores. Hinc Doctores, Magistri, ipseque Generalis Diœceseos Vicarius subjiciuntur examini.

Viam

Viam ad concursum apperit Edictum quo Clerus convocatur, elapsoque tempore in eodem præfinito omnes qui descripti fuerint examinandi sunt ab Episcopo, sive eo impedito, ab ejus Vicario generali, et ab aliis Examinatoribus, non paucioribus quam tribus.

Sede Episcopali vacante persona à Vice-Patrono designatur, quæ absque suffragio examini intersit, *Asistente Real* vernaculo sermone appellata.

Tres ex approbatis Ordinarius Ecclesiasticus nominat, ut eorum unus á Vice-Patrono valeat præsentari eidem Ordinario instituendus remitti, quo possit legitime parochialis muneris partes obire.

Trina hujusmodi propositio gradatim est exprimenda, nec admittenda simultanea approbatorum nominatio, vel quæ in Argentina Ecclesia ad Paroeciam *de Potosi in circulo, et sphæra* fuit facta, ita ut prior, aut posterior inter eos dignosci non possit; sed in primo, secundo, tertio loco quivis est collocandus.

Non alii quam nominati sunt à Vice-Patrono præsentandi, nec prius designatis, posteriores in præsentatione præponendi, nisi nominationem irrationabilem fuisse constiterit.

Cum præsentatio ibi solum detur, ubi datur Beneficii vacatio, si ante vacationem fiat, inanis, nullaque habetur.

De Parochorum renunciatione, ac permutatione, harumque causis Vice-Patronus est monendus: itemque dum Parocho morbo vexato, senectute confecto, vel alio impedimento obstricto Coadjutor adjungitur, vel dum discedendi à Paroecia licentia conceditur ultra tempus à Conciliari lege præfixum.

Non

Non ita dum Parochiales Ecclesiæ ad tempus commendantur, donec Prælatus de proprio Parocho provideat, quod uni Episcopo relinquitur.

Indiarum Beneficia olim non concedebantur in titulum, sed amoviliter ad nutum ad Parochos in officio magis continendos. Hodie tamen tam perpetua sunt, ut legi dictæ *de la Concordia*, quæ formam privandi Beneficiarios ex concordia Prælati, et Patroni præscribit novissimo jure sit derogatum, ut etiam nemo inauditus, et indefensus privandus sit.

In Vicarium Diœceseos generalem, Capitularemve nullus est assumendus, nisi notitia præcedat Vice-Patroni, à quo vel admittitur, vel cum causa repellitur nominatus.

Taxa jurium, et sportularum quæ Notariis, et aliis Tribunalium Ecclesiasticorum ministris præscribitur, Hispané dicta *arancél* Regio Cancellariarum examini subjicitur.

DE ACADEMICO PATRONATU.

CUm Sacerdotio æqué, ac Imperio expediat maximé ignorantiæ tenebras luce scientiarum expellere, Regium plané munus est scholasticas Academias instituere.

Studia generalia appellantur per contrapositionem ad scholas Episcopales, vel Seminaria, in quibus Clerici, aut ad Clerum assumendi erudiuntur, cum et Clericis, et Laicis idoneis indiferenter pateant, omnesque artes, et scientiæ in illis tradantur. Inde Universitates, seu scholæ universales dicuntur.

Uuiversitatum erectio est politica ad Principem

sæcularem spectans, licet valde congruat, ut Pontificia intercedat auctoritas. Itaque Academiæ nostræ Guatemalensi á Carolo II. erectæ, Judices ipse dedit, legesque, et statuta quibus regimur.

Senatus Rectore constans, Scholæ Magistro, Doctoribus, Magistris, ac publicis ad scientias edocendas Professoribus Academiam ipsam repræsentat.

Omnibus publicis Academiæ actionibus præsidere: Doctores, Magistros, Professores, Deputatos, ac Consiliarios ad consessus, seu (ut schola loquitur) *claustra* convocare: ea in aulis providere quæ ad studiorum progressum perfectionemque expediat, Rectoris omninò munia sunt.

Huc tendit quod de ipso obediendo cuncti Academici quotannis præstant juramentum, idemque *sub pœna præstiti juramenti* præcipit quæ judicat expedire, quo intelligitur eos nova perjurii pœna ligari si ejus mandatis non obtemperent.

Jurisdictione etiam gaudet in criminalibus ex delictis intra scholas commissis, vel extra eas si vel studiorum occasione vel aliter ad studia referantur ¿Qualis hæc sit, ejusque limites? interroganti trademus.

A Rectoris jurisdictione actus omnes excipimus ad gradus majores obtinendos præscriptos, in quibus Cancellario, vel Scholæ Magistro tribuitur privativa facultas.

En in jurisdictionis academicæ concessione Regis vivis coloribus expressum Patronatum toto Recopilationis Indianæ titulo *De las Universidades* firmiter assertum ¿Quidni et illud adjiciamus, quod omnia in nostram Academiam transtulit privilegia, quibus abundê

Sal-

Salmantina fruebatur, quodam veluti fraternitatis vinculo utramque conjungens?

Dotationis quoque jure Patronum Regem agnoscit Academia, quandoquidem mercedes sive honoraria Scholarum Professoribus è Regio ærario magna ex parte tribuuntur, ac indulgetur ut qui viginti annorum spatio proprietatis Cathedras rexerint, stipendiis deinceps fruantur emeriti à lectura, laboreque soluti per Substitutum subeundo.

Etiam Canonicos in Academia docentes, velut præsentes haberi decernit ad integræ Præbendæ perceptionem in horis necessariis ad Cathedram legendam et regendam.

Academico Patronatu non modo Rex Sapientes Viros Ecclesiæ ministeriis habiles reddit; sed et Tridentinæ Synodi desiderium explet, quæ hortatur, ut in Provinciis ubi id commodè fieri potest, Dignitates omnes et saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis, vel Collegiatis insignibus Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico conferantur.

Reipublicæ etiam bono consulitur, cum ad ejus gubernationem, sæculariaque munia docti Viri cœteris præferantur à Rege. Et merito, cum hunc et Imperium ad gloriæ fastigium nihil magis evehat, quam eruditos et litteratos Homines suæ protectioni adscribere, honoribus decorare, largisque præmiis afficere.

Quare et Doctoralis gradus honorem ipsum in Cathedrali Ecclesia conferri præcipit; et á Regis Vices gerente academico congressui præsidetur, quo conceditur.

Nec ipsa Doctorali laurea, nec minoribus gradi-

bus

bus ullus insignitur, nisi ultra fidei professionem, fidelitas Regi, ejusque vices gerenti, obedientia Rectori promittatur; aliaque obtestetur quæ si libuerit explanabimus.

Ut publicæ Academiæ theses Regis jura non lædant Regii Censoris examini lege subjiciuntur; idque munus, si in loco adest Cancellaria, Regii Fisci Patrono injungitur.

Tridentinæ Synodi Patres Ecclesiæ perutile esse sunt arbitrati, si præciperent Episcopis universis, ut juniores Clericos in Collegium redigerent,, in pietate, cultuque bonarum artium, ac præsertim divinarum litterarum educandos. *Seminarium* ab ipsis appellatur, quasi locus ad præparandos eos, qui deinde animarum Pastores, ac duces quandoque sint. Horum protectionem, utpote Academiarum auxiliarium Regia suscipit auctoritas.

DE VICE-PATRONIS.

ECclesiæ et Reipublicæ incremento consulunt Reges nostri dum Proreges, et Præsides in Indiarum Cancellariis constituunt, qui et ipsis præsint et regimen horum regnorum exerceant, militaribusque exercitiis sub titulo *Ducum generalium* operam navent.

Horum est omnia prospicere, quorum Rex si adesset curam gereret, et ad Indorum conversionem et tuitionem, Fidei catholicæ propagationem, Provinciarum tranquillitatem, politicam demum administrationem expediant.

Quod arduum est vel insolitum: quod intra supremæ Regiæ jurisdictionis fines includitur: quod demum con-

contraria excluditur consuetudine, vel lege prohibetur nunquam in eorum mandato jurisdictionis venit quantumvis generali.

Cum Regis Imperio fermè innumeræ, eæque longis terrarum spatiis disjunctæ Provinciæ subjaceant: cum item admodum difficile sit pro emergentibus negotiis Regem adire, in Ecclesiæ Patronatu ejus vices gerunt qui ejus personam repræsentant. Quare provisiones aliquas Regio nomine, et sigillo expediunt.

Ex eorumdem dignitate descendit omnes cœremonias, et præeminentias Regibus præstari solitas ipsis exhiberi, nisi aliquæ forte nominatim interdicantur. Cum autem omnes sigillatim recensere immensi propè laboris sit, eas inquirenti in medium afferemus.

Cum salutem loci tueri nulli magis quam loci Domino expediat, Ecclesiam et Rempublicam: maria et littora, ab hostium tum internorum, tum externorum insidiis tueri, eis enixè commendatur.

Cancellariæ Ministrorum consilium ipsis est exquirendum, quotiescumque in jurisdictionis exercitio eis prudens dubium occurrit *voto*, quod dicitur *consultivo*.

Ecclesiæ Præsules præcedunt in congressibus sæcularibus quibus utrique intersint habitis extra Ecclesiam.

Ut intra officii sibi commissi limites contineantur, longæque à Rege distantiæ, quæ aliquos insolentiores solet efficere, modus, ac frænum injiciatur, gesti muneris rationem reddere coguntur, syndicatuique subjacent. Ut ergo justi, benevoli, patientes, affabiles, facilesque in adeundo, et audiendo se præstent, non tam Subditorum, quam ipsorum commodum est.

Imprimatur. Dr. Batres Rector.

contraria excluditur consuetudine, vel lege prohibetur nunquam in eorum mandato jurisdictionis venit quantumvis generali.

Cum Regis Imperio ferme innumeræ, eæque longis terrarum spatiis disjunctæ Provinciæ subjiciantur: cum item admodum difficile sit pro emergentibus negotiis Regem adire, in Ecclesiâ Patronum ejus vices gerunt qui ejus personam repræsentant. Quare provisiones aliquas Regio nomine, et sigillo expediant.

Ex eorundem dignitate descendit omnes ceremonias, et præeminentias Regibus præstari solitas ipsis exhiberi, nisi aliquæ forte nominatim interdicantur. Cum autem omnes sigillatim recensere immensi propè laboris sit, eas inquirenti in medium afferemus.

Cum salutem loci tueri nulli magis quam loci Domino expediat, Ecclesiam et Rempublicam: mœnia et littora, ab hostium tum internorum, tum externorum insidiis tueri, eis enixè commendatur.

Cancellariæ Ministrorum consilium ipsis est exquirendum, quotiescumque in jurisdictionis exercitio eis prudens dubium occurrit arto, quod dicitur consultivo.

Ecclesiæ Præsides præcedunt in congressibus secularibus quibus utrique intersint habitis extra Ecclesiam.

Ut intra officii sibi commissi limites contineantur, longeque à Rege distantiæ, quæ aliquos insolentiores solet efficere, modus ac frænum injiciatur, gesti muneris rationem reddere coguntur, syndicatuique subjacent. Ut ergo justi, benevoli, patientes, affabiles, facilesque in adeundo, et audiendo se præstent, non tam Subditorum, quam ipsorum commodum est.

Propugnatur. Dr. Beltrés Rector.